



Fr. 100.

9
-ne habebat in se dicitur quod in aliis dicitur quod in aliis dicitur quod in aliis
inflatus sicut dicitur quod in aliis dicitur quod in aliis dicitur quod in aliis
dicitur quod in aliis dicitur quod in aliis dicitur quod in aliis dicitur quod in aliis
dicitur quod in aliis dicitur quod in aliis dicitur quod in aliis dicitur quod in aliis
dicitur quod in aliis dicitur quod in aliis dicitur quod in aliis dicitur quod in aliis

PAVCIS

AES SEMINATVM

ERVIT

ET

ORATIONEM PVBLICAM

BENEFICIO

ECCARDO - RICHTERIANO

SACRAM

INDICIT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE, Litteris MATTHÆANIS.

XXXVIII.

Inter cetera beneficia, quibus Saxonia multas alias prouincias iam pridem antecelluit, et quorum fructum uberrimum adhuc capit, inexhaustae praestantissimorum metallorum fodinae primum fere occupant locum. Neque imerito ad haec instruictissima prouincia mirificae opulentiae vatis diuini verba adcommodabimus: a) *penuaria nostra alte referta sunt, ab alia annona ad aliam* In primis autem Freiberga habet, quo se suamque sortem iactet, tam largum argenti prouentum ex montium visceribus quotannis suppeditans, ut veterum Sarepta et Temessus in eius agris reuixisse videantur. Si enim Deus aliquando Israelitis hanc gratiam singularem pollicitus est, ut in terram perducerentur, cuius lapides in ferrum abirent: b) quo, quaeso, loco illius prouinciae felicitas habenda erit, cuius lapides argentum referunt, scoriis fere immune et purum? Igitur patiamur, terram Ophiri et Cassanitarum olim praecipua gloria et praedicatione excelluisse, quod aurum ἀπνιγον, ἀκηρατον et ἀπεφθεγμον generaret, hoc est, ut AGATHARCHIDES exponit, c) εἰ συντηκομένον μετ' ἐπιστήμης καὶ τεχνῆς εἴη τε Φυρακτός, ἀλλα τοῦ αὐτομάτου, non ex ramentis per scientiam et artem liquefactum, sed sponte natum. Celebret in ea ARTEMIDORVS βωλαξια παθαξεων & πολλῆς δεομένα, metalli glebas multa purgatione non egentes. d) Admiretur in illa BASILIVS χρυσον τοῦ μιθεμαν ἀμφιβολίας ὑπὸ ἀλλοτρίος ἔχον ἐν ἑσυτῷ, ἀλλ' ὅμη τοῦ Φανηνοῦ περδον την ὄψιν τῶν ὄρων τῶν, διτι δοκιμας ἐσι καὶ αὔριγε χαλκε, εἰ τινος ἀλλης ἐπιπλοκης, h. e. aurum, quod nullam alienae materiae ambiguitatē in se habet, sed, quam primum adparat, solo aspectu fidem facit, se probum esse, et ab omni aeris aut alieni metalli permissione purum: C quale aurum illud, Hebraicū dictum, fuisse, videtur, quod eam ob caſſam LXXIes in ἀπνιγον conuerterunt, h. e. nullo igni purgandum. e) Extollat DIODORVS SICVLVS naturalem illius terrae bonitatem, f) quod glebulae purissimi metalli ex ea effodiuntur, nucem magnitudine exaequantes. Quanto illi honore fodinae Freibergae metallicas dignas iudicaturi fuissent, si eas massas solidi argenti vel oculis suis usurpassent, vel manibus contracteſſent, vel fama celebrari audissent, quae nostra iam aetate eruuntur, non ad nuncis, sed faxi magnitudinem accedentes, et mole aliquot lapides centenarios superantes, argenti, inquam, tam puri, ut vix coctione opus habeat ad purgandum, vel certe igne subiecto, parum detimenti patiatur.

Haec quoties vel animo expendo, vel audiendo percipio, vel spectando contemplor, et religiose admiror, toties eorum sententiam in memoriam reuoco, qui persuasum sibi haberunt, multis in locis *aes seminarī*, et seminarido augeri ac propagari. Quae quidem opinio quamvis speciosa vix videatur, neque ad veri similitudinem accedat, rerum autem metallicarum peritis et usu atque experientia

a) Pl. CXXXIV, 12.

b) Deut. VIII, 9.

c) De mari rubr. L. l. c. 48.

d) vid. Bocharti Phal. et Can. L. II. c. 27.

e) Ies. XIII, 12.

f) l.c. Boch. p. 138.

perientia longe alia edoclis risum excitet; talem tamen communicare cum lectori benevolo, qualem in veterum monumentis reperi, neque à tempore neque à loco alienum iudicavi. Veteres autem suis in libris haec commemorantes, ideo exusari debent, quod ea loquendi ratione nihil aliud indicare voluisse videntur, quam earum regionum praestantiam, qui aeris copia mirifice abundant.

Hoc sensu poma illa aurea explicari debent, quea in hortis Hesperidum nata olim fuisse leguntur, ut poeta vocat, g)

Fulvos aurifera seruantibus arbore fructus.

Hesperides autem filiae Hesperi fuerunt, Altantis, Mauritanorum regis fratris, hortos in extrema Aethiopiae parte habentes, quorum mala aurea draco custodiebat, Ladon dictus, tantae immanitatis, ut non nisi Herculis virtute occidi posset, De quo APOLLONIUS; h)

ω̄ ἐνι Λαδῶν

εἰσετι ποὺ χθίζον παγχρυτεα δύνετο μηλας
χωρφ ἐν Ατλαντος, χθόνος ὁφις, ἀμφι δε νυμφαι
ἐσπεριδες ποιπνυν εφιμερον αειδεσσα.

Δη τοτε ἡδη κενος υφ' Ἡρακληι δαιχθεις
μηλεον θεβλητο ποτι συπος. h. e. in regione Atlantis Ladon erat,
terrestris serpens, qui adhuc aurea mala seruabat: Hesperides autem suauiter ca-
nentes circa illum. Idem vero serpens tandem ab Hercule intersectus eiiciebatur.
Hic nempe, uti LVCANVS canit, i)

fuit aurea silua
Diuitiisque grauis, et fuluo germe rami,
Virgineusque chorus, nitidi custodia luci,
Et nunquam somno damnatus lumine serpens,
Roboris complexus rutilo curuata metallo.
Abstulit arboribus pretium, nemoriique laborem
Alcides, passusque inoper sine pondere ramos
Rettulit Argolico fulgentia poma tyranno.

Eadem fere est sententia fabulae, quae Midam, Phrygiae regem, describit, pecuniae copia aedeo abundantem, ut, quicquid manibus contrectaret, in aurum abiret. Namque

ubi fronde virentem
Ilice detraxit virgam, virga aurea facta est.
Tollit humo saxum, saxum quoque palluit auro:
Contigit et glebam, contactu gleba potenti
Massa fit: arentes Cereris decerpit aristas,
Aurea messis erat. k)

Quum

g) Silius Ital. L. IV, 638.
VI, 61. Ach. IV, 484.

b) Argonaut L. IV. Vid. Star. Silv. III, l. 188. Virgil. Ed.

i) Pharsal. L. IX. 360. sq.

k) Ovid, Metam. XI, 108. sq.

Quum vero cibaria etiam, quibus uesceretur, in aurum permutarentur, et Midas inedia se peritum, intelligeret, Bacchum rogauit, ut hoc munus auferret, cui deus respondit, hoc futurum, si in flumine Pactolo corpus lauisset. Quo facto, ipse non tantum illa molestia liberatus fuit, sed fluius etiam ille ex isto tempore aureis arenis fluere coepit. Id quod poeta his verbis refert: l)

Rex iussu succedit aquae, vis aurea tinxit
Flumen, et humano de corpore cessit in annem.
Nunc quoque iam veteris percepto semine venae
Arua rigent auro madidis pallentia glebis.

Neque aliam ob caussam poetæ fingit, arboreis in hortis Atlantis fructus aureos protulisse; quam, ut insignes illius diuinitas describeret ac opes modum fere excedentes. Postquam enim has ita exposuerat: m)

Mille greges illi, totidemque armenta per herbas
Errabant:

Hanc statim exaggerationem, poetis familiarem, addit:
Arbores frondes auro radiante nitentes

Ex auro ramos atque auro poma tegebant.

Cum quibus ea huius regionis commendatio conspirat, quam LVCANVS decantat: n)

In nullas vitiatur opes, non aere nec auro
Excoquitur, nullo glebarum criminе, pura.

Idem senserunt, qui montes integros aes, aurum atque argentum fluxisse, et sponte reclusas opes obtulisse, fabulati sunt. Quo nomine Gallorum Alpes POSIDONIVS, o) Hispanicos montes ARISTOTELES, p) et sigillatim Pyrenæos DIODORVS SICVLVS q) celebrant. Imo sunt, qui his indicis naturae permotis fuisse homines et eo adductos, existimant, ut in recessus terrae intimos penetrarent, et vi adhibita, fossisque cuniculis, illa protraherent, que sponte sua vel raro vel sero prodire, fentiebant. Quam in rei LVCRETIVS, solertissimus naturae venator, ita commentatur: r)

Horribil sonitu silvas exederat altis
Ab radicibus, et terram peroxerat igni,
Manabat venis feruentibus in loca terræ
Concau conueniens argenti riuus et auri
Aeris item et plumbi: quae quum concreta videbant
Posterius claro in terras splendere colore,

Tolleban,

l) Ouid. I. c. 142. sqq.

424. sqq.

m) Ouid. Metam. IV. 634. sqq.

n) Pharsal. IX.

o) ap. Athenaem in Dipnol. L. VI. 233.

p) De mirabilib. c. 40.

q) L. V.

r) De rer. nat. L. V. 1252. sqq.

*Tollebant, nitido capiti laeuique lepore,
 Et simili formata videbant, esse figura
 Atque lacunarum fuerant vestigia cuique,
 Tum penetrabat eos, posse haec liquefacta calore
 Quamlibet in formam et faciem decurrere verum;
 Nec minus argento facere haec auroque parabant.*

Multa hoc loco de fluviis auriferis, Pactolo, Gange, Hypane, Megarso, Tago, etc.
 itemque de fontibus auream arenam scaturientibus, in medium adferre possemus,
 nisi ab instituto nostro longius recederent, quod in exponendo aere seminato
 in primis versatur.

Tale autem in insula Cypro olim repertum fuisse, veteres tradiderunt. Quemadmodum enim haec insula, prope Ciliciam sita et Syriae obiecta, omnium rerum pretiosissimarum copia abundabat, adeo, ut *Macaria*, h. e. felix et beata, cognominaretur: ita aeris in primis ubertate abundabat. Huius copiam ARISTOTELES his verbis describit: s) *in Cypro genus quoddam aeris gignitur, auro non assimilis, quod in frustula minutissima concisum agricolae ferunt; idque mox ad pluriam exortum et coalescens, postquam ad instam maturitatem peruenit, colligunt et recondunt. Quem stupendum naturae effectum IO. ARGOLVS, t) ALEXANDER AB ALEXANDRO, u) et alii recentendo repetunt, et admirantur.* Ipsam vero insulam nunc commemoratam iam pridem prouentum aeris celebratam fuisse, cum ex eo adparet, quod *aes Cyprium* adhuc in omnium notitia versatur, tum urbs illius celeberrima, *Temesa*, testatum facit, ubi, quod STRABO x) et STEPHANVS y) docent, μεταλλα χαλκε ἐστιν αφθονα, copiosissimae sunt aeris fodinae, cui Syri procul dubio nomine à τούτῳ, vel metallorum fusione, imposuerunt. Idem ille ARISTOTELES z) in Pieria, regione Macedoniae, incredibilem commemorat auri copiam ab antiquis regibus defossam sub terra fuisse, idem vero, intermisso temporis intervallo, planitarum ad instar surrexile et ad palmi magnitudinem creuisse. His fere similia sunt, quae de Philippis idem philosophus refert, a) circa illam nempe urbem metalla reperiri, quorum frusta disiecta augeri incolae feniunt, et aurum seminando multiplicant.

Et quis nostrum de immensis Indiae utriusque opibus non audiuimus vel legit? ex qua iam dudum maximae praeflantissorum metallorum diuitiae ad nos pervenerunt, et adhuc adducuntur. Non solum auri ramenta sub terra abscondita à formicis in illis regionibus saepissime erui et in lucem protrahi, leguntur; b) sed etiam frutescere, imo arborescere metalla ibidem commemorantur.

s) πέρι Θαυματ. ἀντομ. c. 45. t) in Not. ad Onuphr. Panuin. de Ludis Circens. L. I. c. XVII. nu. 49. w) Dier. genial. L. IV. c. IX. p. 199. x) L. XIV. y) ad vocem Θαυματος. z) l. c. c. 45. a) l. c. c. 45. b) Scholia Sophoc. in Antigon. v. 1050.

t) in Not. ad Onuphr. Panuin. de Ludis Circens. L. I. c. XVII. nu. 49. w) Dier. genial. L. IV. c. IX. p. 199. x) L. XIV.

rauntur. In insula enim Hispaniola ex terra surgere aurum fruticum more, iuxta arbores serpere, et vitis ad instar haerere, PETRVS MARTYR memoriae proditum confignauit. c) A quibus ea fere haud aliena videntur, quae BAPT. FVL-GOSVS narrat, d) in Pannonia apud Firmium urbem uisa, ubi iuxta vites capreoli vere aurei surgebant, ex quibus in perpetuam rei memoriam singularis moneta cuja fuit. Neque hoc loco praetermittend exsistimauit, quae nuperime AVCTOR HODOEPORICI VNUIVERSALIS, e) de Africa exponens, attulit; In Africa trifft man hin und wieder die Flüsse voller Goldsand an, und Berge damit angefüllt. - - Es giebt auch gewisse Bäume, da das Gold bis in den Gipfel hinaufwächst.

Haec omnia, utrum vera sint, an minus, fides penes auctores esto. Sufficit, ex iis, quae iam attulimus, testimoniis, intelligi, quod aes seminatum veteribus haud fuerit ignoratum, et ex iisdem metallorum messis atque vindemias passim decantatas explicari posse. Quid? quod multi loca quaedam codicis sacri hoc trahere non dubitent, suam de generatione metallorum sententiam incrustaturi, quae veluti plantas ex radice nasci, in ramos, ad arboris instar, diffusas extendi, et ad incrementum pervenire, sibi persuadent. Huc Iobum intendere digitum, aiunt, mox de *בְּנֵי נָהָר* h. e. *pulueribus auri* loquentem, f) mox Deum, in naturae operibus admirabilissimum, ita compellantem: g) *tuponis aurum super puluorem*, et *praefantissimum metallum super rupes torrentium*. Quemadmodum enim agriculta semina super pulueribus terrae reponit, et, hoc facto, in spem laetissimae messis ingreditur; ita Numen diuinum cum metallis agere, persuasum sibi habent. Neque hoc solum cum auro, verum etiam cum argento fieri, contendunt, ad eiusdem Iobi verba prouocantes; *אֲזַרְנָה נְבָדָל וְ*, h. e. *argento suis e terra est exitus*. h)

Atenuero haec omnia, quae protulimus, testimonia, nihil aliud, quam insignem horum metallorum copiam, quibus multae prouinciae sunt instructae, indicant. Bene igitur ORIGENES in locum Iobi adlegatum his verbis commentatur: i) *μεχεται ή γραφη τη λεζει ταυτη, ὅταν περι πλευτες διαλεγεται,* h. e. *utitur Scriptura S. hac loquendi ratione, ubi de diuitiis differit.* Et sic aes seminatum à veteribus eodem sensu commemoratur, quo et gigantes et draconum dentes à poëtis et fabularum architectis seminati dicuntur. Quum enim OVIDIUS maximam gigantum multitudinem describere instituit, fingit, Palladem iussisse Cadmum dentes occisi serpentis seminar, quo facto, ex satis illis ingentem vastissimorum et immanium virorum copiam prodisse: k)

Pallas

- c) de Reb. Ocean. p. 89.
- d) Rer. gest. et memorabil. L. I. c. VI.
- e) Allge-
meine Reisebeschreibung zu Wasser und Lande Tom. V. p. 223.
- f) Iob.
XXVIII. 6.
- g) Iob. XXII. 24.
- h) Iob. XXVIII. 1.
- i) Com-
mentar. in h. l.
- k) Metam. L. III. 102. sq.

Pallas adeſt, motaeque iubet ſupponere terrae
Vipereos dentes, populi incrementa futuri.
Paret. Et, ut preſſo ſulcum patefecit aratro,
Spargit humi iuſſos, mortalia ſemina, dentes.
Inde, (ſide maius) glebae coepere moueri
Primaque de ſulcis acies adparuit haſtae,
Tegmina mox capitum, picto nutantia cono,
Mox humeri pectusque, onerataque brachia telis
Exiſtunt, crescitque ſegeſ clypeata virorum.

Idem vero poeta, ubi Iasonis confiſum deſcribit, quo vellus aureum Colchis re-
petendum adgredi volet, quum praefidio armatorum opus haberet, eum fabu-
latur ex Medeae mandato, proſciflo ſolo, dentes ſeminaffe, et ex iis largiſſimam
armatorum ſegetem prodiiffe: l)

galea tum ſumit abena
Vipereos dentes, et aratos ſpargit in agros.
Semina mollit humus valido praetincta veneno,
Et crescent fiuntque ſati noua corpora dentes.

Quantum autem ad poma illa aurea attinet, in hortis Hesperidum prognata,
duplicem haec fabella explicationem admittit: quarum altera contemplatione
corporum caeleſtium, altera historia rei gestae nititur. Illa dum Herculem re-
praefentat, aurea mala Hesperidum rapientem, significat ſolem, ortu ſuo lumen
ſtellarum praefringentem. Hortus igitur coelum, et poma aurea ſtellas refe-
runt. Haec autem interpretatio docet, Herculem, poſtquam filias ex fratre Atlantiſ
nat, atque Hesperidas cognominatas, in libertatem vindicauerat, ob hoc be-
neſiſium aurea poma reportaſſe, h. e. ab Atlante accurata ſiderum cognitione in-
ſtitutum fuiffe: quam ob cauſam uterque caelum humeris geſtare commemo-
ratur, m)

Non eſt igitur, quod existimemus, prima mundi aetate metalla ſeminando
multiplicata fuiffe et propagata, quae noſtri temporibus non ſine multo labore
et periculo eruuntur et comparantur: qua in ſententia homines profanos fuiffe,
videimus, quorum nomine OVIDIUS canit: n)

At quam regna ſenex caeli Saturnus haberet,
Omne lucrum tenebris alta premebat humus,
Aeraque et argentum, cumque auro pondera ferri
Manibus admirat, nullaque maſſa fuit.

Neque

l) Metam. VII. 121. ſqq. m) Diodor. Sic. Rer. antiqu. L. III. c. 2.
L. III. El. VIII. 37. ſqq.

n) Amor.

Neque est, quod temporum praesentium iniuriam adcusemus, aut de natura ef-
foeta et viribus pristini deslituta conquerarum. Quod enim iam pridem Iobus de
suae aetatis fodinis dixit: **אָמַר יְהוָה וְאֵלֶיךָ** habet argentum suas uenas, ex quibus
protrahitur; id adhuc apud nos valere, et, quae singularis benignissimi Dei est
gratia, in fodinis Saxoniae metallicis indies nouis iisque luculentissimis testimo-
niis confirmari, videmus.

Hoc beneficium, diuinitus in terras nostras collatum, cuius usus ad multa
millia hominum redundat, quemadmodum summo iure sanctissima religione
veneramur, et caelestem illius largitorem piis precibus obsecramus, ut perpetuum
esse illud iubeat, et ad posteros conferuet: ita cum illius recordatione haud immie-
rito memoriam illius beneficentiae coniungimus, qua de litterarum studiis proue-
hendis Mecaenates atque Fautores praeclare meruerunt. Facile, neque ablo-
num foret, scholas bene constitutas cum fodinis metallicis comparare, et argu-
mentis idoneis testatum facere, quantum utrobique laboris sit consumendum,
quantum autem etiam utilitatis utrinque sit exspectandum, in primis, si non de-
ficiant prompti sumptuum largitores, qui operarios re ac facto iuvant, ne segnes
fiant aut remissi. Experiuntur hoc, qui in schola Freibergensi litteris operan-
tur, tot ac tantis munificentiae ornamenti adiuti et fubleuati, ut dubium esse
videatur, utrum maiorem gloriam ex uberrimo argenti et aeris prouentu, an
ex beneficii, iuuentu scholasticae destinatis, haec ciuitas consequatur.

Quae quum ita sint, his liberalitatis fontibus verba Iobi supra allegata ad-
scribere non dubitamus: **אָמַר יְהוָה וְאֵלֶיךָ**: adhuc honos studii durat, et adhuc fons
ter liberalis beneficentiae prono flumine manant. Haec inter beneficia, quae
disciplinae nostrae traditi percipiunt, liberalis ille connactus, ex legato ECCAR-
DO-RICHTERIANO sex alumnis destinatus, locum occupat haud postremum.
Cuius administratio quemadmodum hic usque à viro amplissimo, ISRAELE
RICHTERO maxima cum fide, cura, et religione, procurata fuit: ita non est,
quod dubitemus, quin, illo nuper è vita egesto, gravissimi rei scholasticae In-
spectores, pro suo bene merendi studio, etiam in posterum illud beneficium ita
sint complexuri, ut ne quid detrimenti patiatur. Iam vero, ut sancta nostri Euer-
getae memoria conseruetur, et religioso cultu renouetur, unus ex iis, qui bene-
ficio illo denunciuntur, nempe

GVL, GOTTL OB WALPV RGER,

Ebersdorf - Misn.

per legem ab ipso munifico auctore paecriptam, habita Latina oratione, in qua
exponitur, *quaenam fuerit scholarum et rei scholasticae ratio apud veteres Ger-
manos?* officio pietatis suorum commilitonum nomine satisfaciens. Ad quam bene-
uolis animis et lerena fronte audiendum ut Vos, PATRONI AC FAVTORES, cras,
hora ante meridiem nona, haud inuiti accedatis, ac nouo hoc argumento Ve-

strami erga beneficia scholastica voluntatem testatam faciat, rogamus,

oramus, atque obtestamur. P. P. Freiberg. a. d. XXIV, Jun.

A. R. S. MDCLLI.

6.
Mö 1800.

56



56.

63

M.C.



Farbkarte #13

B.I.G.



PAVCIS

AES SEMINATVM

ERVIT

ET

ORATIONEM PVBLICAM

BENEFICIO

ECCARDO - RICHTERIANO

SACRAM

INDICIT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.

XXXVIII.